

bile et irreformabile. Ergo. — Prob. min. Constitutio *Unigenitus* est iudicium Ecclesiae de facto dogmatico. Atqui iudicium Ecclesiae est infallibile et irreformabile in dogmatibus et factis dogmaticis definiendis, ut late probavimus in duobus praecedentibus articulis. Ergo. — Prob. maj. Ecclesia universa constitutionem *Unigenitus* accepit, et acceptando fecit suam. Ergo. — Ant. constat 1^o ex ipso Clemente XI, qui in litteris *Pastoralis officii* dicit: « Quam (constitutionem) universa Ecclesia veneratione debita complectitur. » 2^o Ex testimoniis omnium fere ecclesiarum totius Europae, Italiae, Siciliae, Venetiorum, Genuae, Pedemontii, Sabaudiae, Germaniae, Belgii, Bohemiae, Hungariae, Poloniae, Hispaniarum et Portugaliae; academiarum Salmanticensis, Lovaniensis, Coloniensis, Duacena, Conimbricensis, etc. Exstant autem haec omnia testimonia in institutione pastorali Eminentis. Card. de Bissy, tom. III; in institutione 2^a illustris. D. Languet, tunc episcopi Suessionensis, postea archiepiscopi Senonensis, et in opere cui titulus: *Réfutation du mémoire publié en faveur de l'appel des quatre évêques*, approbante Eminentis. Cardinali d'Alsace, archiepiscopo Mechliniensi. Quantum ad Galliam, ubi quaestio mota est, centum et decem episcopi hanc constitutionem acceptarunt, decem recusarunt, et quatuor tantum ad futurum concilium generale appellarunt. Ex academiis viginti quatuor in eodem regno, tres tantum, Parisiensis, Remensis et Nannetensis acceptationem prius factam revocarunt. Ergo.

Mirum est quot effugia excogitaverint Appellantes, ut vim hujus argumenti eluderent. Igitur

Dicunt 1^o equidem Ecclesiam in conciliis congregatam esse infallibilem, at non dispersam.

Resp. hoc assumptum esse falsissimum, et aperte contradicens Christi promissionibus. Promisit enim Christus se futurum cum Ecclesia omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi. Numquid omnibus diebus congregantur concilia? Numquid Ecclesia dispersa non est vera Christi Ecclesia, quae deficere non potest? Quin imo Ecclesia in concilio congregata non est infallibilis, nisi quia repræ-

sentat universam Ecclesiam dispersam. Ergo a fortiori haec est infallibilis. Adde quod alias Christus non satis providisset suae Ecclesiae; donec enim congregaretur concilium generale, quod quandoque non nisi post saecula potest congregari, grassarentur haereses et totam Ecclesiam inficerent.

Dicunt 2^o: Soli episcopi Europae acceptarunt.

At unde id sciunt? Et esto, quid inde? Numquid concilium Tridentinum (idem die de pluribus aliis), non est oecumenicum, quia illi non adfuerunt episcopi Americae et Indiarum orientalium? Numquid constitutiones contra Baium, Jansenium, Molinos, etc., non sunt acceptatae ab Ecclesia, quia forte non fuerunt missae ad Indos aut Americanos? Sufficit ergo acceptatio expressa Ecclesiae in ea parte mundi in qua residet supremum ejus Caput, et est major episcoporum multitudo, quia inde potest aliis innotescere. Nec satis Christus providisset suae Ecclesiae, si expectari deberet consensus illorum qui in extremis mundi partibus morantur. Ita respondebat Augustinus Juliano, lib. I *contra Julianum*, c. 4, n. 13.

[« An ideo, inquit, contemnendos putas, quia occidentalis Ecclesiae sunt omnes, nec ullus est in eis commemoratus a nobis Orientis episcopus? Quid ergo faciemus cum illi Graeci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. Cui Ecclesiae praesidentem beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit ille vir sanctus Africanis respondere conciliis, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes et Romana cum caeteris tenet perseveranter Ecclesia? »]

Dicunt 3^o: Episcopi non acceptarunt libere constitutionem: quidam metu Inquisitionis, omnes metu excommunicationis latae in non acceptantes.

Resp. 1^o metum sive Inquisitionis, sive excommunica-

tionis non auferre libertatem in acceptanda constitutione, sicut metus pœnarum inferni aut suspendii non aufert libertatem in observandis legibus, sive divinis, sive humanis. 2^o Christus promisit quod portæ inferi, id est terrores, percussiones, exilia, incarcerationes, secures, patibula, omnia tormenta diaboli, non prævalerent adversus Ecclesiam. Prævalerent autem, si metu Inquisitionis aut excommunicationis episcopi acceptarent falsa dogmata.

Instant : Saltem extra Galliam episcopi acceptarunt constitutionem ex motivo infallibilitatis Papæ. Atqui istud motivum est falsum. Ergo acceptatio in eo fundata est illegitima et nulla.

Resp. 1^o *Data* nunc minori, quam alibi probabimus falsam, *nego* conseq. ; quia infallibilitas Ecclesiæ non innititur motivis et rationibus quibus episcopi moveri possunt ad judicium ferendum in rebus fidei, sed assistentiæ Spiritus sancti sibi promissæ, qua stante fieri non potest quod Ecclesia aliquo principio decepta inducatur in errorem, alias portæ inferi prævalerent adversus illam, et Christus non esset cum illa omnibus diebus. Sufficit ergo quod Ecclesia definiat, quavis ratione inducta id fecerit, quia errare non potest definiendo. 2^o Si valeret instantia, nutarent bullæ contra Baium, Jansenium, Molinos et aliæ, imo nihil foret fixum in Ecclesia, neque ipsorum conciliorum generalium decreta forent fidelibus regula fidei. Quot enim et quam variæ rationes et deliberationes singulorum, antequam deveniatur ad definitionem ! Si ergo lata definitio pendeat ex rationibus et motivis singulorum episcoporum definiendum, necesse erit illa scrutari, an vera vel falsa sint, ut definitio habeat vim legis et regulæ. Hoc autem semel admissum, concutitur Ecclesia a fundamentis, et non habet amplius ubi pedem certo figat. 3^o In concilio quod petunt Appellantes, juxta instantiam, adesse non poterunt episcopi extra Galliam : quia fere omnes imbuti sunt opinione infallibilitatis summi Pontificis, aut tenebuntur, ingrediendo concilium, hanc suam sententiam exuere ; quod est absurdum. Aderunt ergo huic concilio summus Pon-

tifex et episcopi Gallicani. Eritne concilium generale ? Fallor, nec Pontifex, nec episcopi Gallicani adesse poterunt ; sunt enim partes in lite, summus Pontifex, qui constitutionem tulit, episcopi Gallicani centum et decem, qui illam acceptarunt. Convocandi ergo erunt Americani, Asiani, Africani, si forte nihil audierunt de bulla, et hi soli sine capite sedentes constituent concilium generale ? Papæ ! quanta absurda et quantis chimæris pasci amant Appellantes ad concilium generale impossibile et plane chimæricum !

Dicunt 4^o : Papa prohibet examinare suam bullam. Ergo episcopi non acceptarunt ut judices.

Resp. Id nos non legere, neque in bulla, neque in litteris *Pastoralis officii*.

Instant : Saltem exigit omnimodam obedientiam bullæ. Ergo non fuit licitum episcopis illam examinare.

Resp. *Nego* conseq., saltem si intelligatur de propositionibus contentis in bulla. Dirigitur enim bulla ad fideles secundum cujusque conditionem. Episcopi autem sic sunt subditi Papæ, ut sint etiam cum et sub illo doctrinæ judices. Pontifex igitur, ut superior, exigit ab omnibus fidelibus, consequenter ab episcopis, ut subditis, obedientiam suæ constitutioni, sicut legislator in civilibus exigit obedientiam suæ legi, ita ut episcopi teneantur acceptare constitutionem ut legem pontificiam, non tamen ut legem Ecclesiæ, nec prohibentur ut judices doctrinæ examinare, si non bullam ipsam, saltem propositiones in ea damnatas, et si quid inveniunt fidei minus consonum, illud reverenter exponere Pontifici ; quod cum non fecerint, exceptis admodum paucis, lex pontificia facta est lex Ecclesiæ.

Nec refert quod Papa nunquam revocet quod semel pronuntiavit ex cathedra. Id enim signum est quod nunquam docuerit ex cathedra aliquid contra fidem aut mores ; non enim permetteret Spiritus sanctus, qui semper adest Ecclesiæ, quod episcopi omnes acceptarent doctrinam fidei aut moribus contrariam. Denique bullæ contra Baium, Jansenium, Molinos et aliæ sub eodem tenore late

sunt, quo tamen non obstante, sic acceptatæ sunt ab Ecclesia, ut sint modo leges Ecclesiæ et fidei regulæ.

Dicunt 5º : Episcopi non sunt unanimes in sua acceptatione : alii acceptarunt simpliciter, alii relative ad suas explicationes. Ergo.

Resp. omnes acceptasse simpliciter, nullum relative, relatione scilicet restringente bullam ad suas explicationes, quasi sensus bullæ foret erroneus, aut non posset habere alium sensum legitimum quam sensum explicationum ; sed adjunxerunt explicationes suæ acceptationi, tantum ut prævenirent abusus bullæ qui fieri possint. Acceptatio autem hoc sensu relativa, non impedit acceptationem simplicem. Sic acceptamus simpliciter Scripturam, eam tamen explicamus contra falsas hæreticorum interpretationes et ad instructionem fidelium, non vero ut restringamus ejus sensum ad nostrum, quasi ipsius sensus foret falsus, aut non posset esse legitimus alius a nostro.

Dicunt 6º : Constitutio damnat vago et indeterminato modo centum et unam propositiones respective ut falsas, erroneas, male sonantes, scandalosas, hæreticas, etc. Atqui hujusmodi constitutio non potest esse regula fidei. Ergo. — Prob. min. Fides debet habere objectum fixum. Atqui incertum nobis relinquitur, quæ propositio sit erronea, quæ scandalosa, quæ hæretica, etc. Ergo.

Resp. Nego min. Ad prob., *dist. min.* Nobis incertum relinquitur, quæ propositio sit erronea, quæ hæretica, etc., et hoc est objectum constitutionis, *nego*. Et non est objectum constitutionis, *conc.* Non ergo constitutio obligat ut credamus hanc vel illam propositionem in particulari vel scandalosam, vel hæreticam, etc. ; sed ut credamus nullam esse super quam non cadat aliqua qualificatio, nec ullam esse qualificationem quam non mereatur aliqua propositio, uno verbo, omnes has propositiones esse defectuosas, et nullam posse sustineri. Hoc autem objectum est fixum et determinatum. Sit paritas. Medicus expertissimus et fide dignus monet convivas, omnia fercula convivii esse venenata, non explicando qualitatem veneni quod cuique ferculo competit : an sit frigidum, an calidum, an statim

necans, an causans languorem, etc. Objectum fidei humanæ in convivis est, quod hæc fercula sint vitata et vitanda, et hoc sufficit ut nullus ex eis quidquam degustet, nec multum curabunt inquirere de qualitate venenorum. Similiter in nostro casu. Ecclesia non exigit quod credam aut dicam hanc propositionem esse hæreticam, illam male sonantem, istam scandalosam, etc. ; sed solum quod habeam omnes ut defectuosas et jure damnatas, quarum nullam ideo possim sustinere. Insuper non aliter damnatæ sunt propositiones Wiclefi et Joannis Hus in concilio Constantiensi, propositiones Baii, libri *Maximes des Saints*, et aliæ ; quo non obstante, constitutiones adversus illas sunt ab Ecclesia acceptatæ ut regulæ fidei.

Dicunt 7º : Posset contingere quod major pars episcoporum cum summo Pontifice, paucis admodum exceptis ex adverso reclamantibus, errorem definiat ac pertinaciter defendat. Ergo ex acceptatione constitutionis a majori parte episcoporum nihil potest extundi pro ejus infallibilitate. — Prob. ant. ex concilio Ariminensi et Seleuciensi, ubi major pars episcoporum hæresi arianæ subscripsit. Ergo.

Resp. Nego ant., quod est totius Religionis eversivum. Hoc enim semel admissio, Ecclesia non est amplius catholica, ut patet, nec visibilis ; cui enim parti credent fideles, si non majori authoritati ? Debebunt discutere cujusque rationes, cujus tamen discussionis sunt ut plurimum incæpaces, et suo privato spiritui fidere ; quod est basis hæreseos Lutheranae et Calvinistæ. Et his hæreticis nobis fallibilitatem Ecclesiæ objicientibus, nihil quod respondeamus, habebimus. Unde Augustinus ex professo probat contra Donatistas, Ecclesiam apud eos non esse, quia, licet inter eos numerarentur trecenti episcopi, hi tamen erant pauci comparative ad cæteros, et concludebantur intra limites Africae. Insuper nullus hæreticus, nulla hæresis poterit unquam damnari ; nulla enim est causa adeo perversa, quæ non inveniatur aliquos patronos.

Ad probationem. In primis falsum est Patres Seleucien-

ses subscripsisse Arianismo; nihil enim eo in concilio, ob sententiarum dissensionem, fuit definitum. 2° Falsum est Patres Ariminenses subscripsisse hæresi arianæ. Subscriperunt namque formulæ secundum se catholicæ, sed qua, propter omissionem *Omoousion* ex fraude Arianorum, hi abutebantur. 3° Falsum est majorem partem episcoporum totius Ecclesiæ huic perfidiæ Arianæ subscripsisse. 4° Tandem falsum est Patres Ariminenses quoad suam subscriptionem conjunctos fuisse summo Pontifici; Liberius enim Papa jam a biennio sibi redditus, et Romam redux, fidem Nicænam palam profitebatur et propugnabat. Primum et quartum constant ex omnibus historicis; secundum et tertium probavimus, in majori Opere, in tract. *de Trinit.*, digress. 3 ad dissert. proem. Illuc recurte.

Observandum tamen est quod, dum quidam Patres dicunt, tempore conciliorum Ariminensis et Seleuciensis, omnes, paucis exceptis, tempori obsecundasse, et peste seu perfidia Ariana fuisse infectos: vel non loquantur de universa Ecclesia, sed de quibusdam provinciis Asianis, in quibus maxime grassabatur hæc hæresis; vel intelligant pestem arianam pervasisse omnes provincias, et ubique esse diffusam, non tamen infecisse omnes; vel loquantur hyperbolice et per exaggerationem, propter multitudinem illorum qui videbantur defecisse; vel tandem per hæresim seu perfidiam arianam intelligebant formulam subdolan, cui subscriperant Patres Ariminenses, quæ licet esset in se catholica, favebat tamen Arianis, qui ea abutebantur, propter omissam vocem *consubstantialis*. Vide locis citatis *de Trinitate*.

Dicunt 8°: Plures propositiones Quesnelli iisdem plane terminis leguntur in sanctis Patribus. Ergo hi etiam sunt damnandi.

Resp. Dist. ant. Plures propositiones iisdem plane terminis et eodem sensu leguntur in sanctis Patribus, *nego*; sensu diverso, *conc.* Sensus enim alicujus propositionis eruitur, non ex solis verbis quibus componitur nude spectatis, sed spectatis respective ad circumstantias et conditionem authoris et temporis. Unde *nego* conseq.

Dicunt 9°: Summus Pontifex non declaravit Appellantes hæreticos.

Resp. eos declarasse ab Ecclesiæ communionem separatos, quod valde est affine. Quod si aliud non expresserit Pontifex, id fecit ex prudenti œconomia, sperans fore ut Appellantes lenitate potius quam severitate essent revocandi.

Dicunt 10°: Pater Quesnellus fuit damnatus inauditus. Item: Cur toties rogatus Pontifex noluit explicare suam constitutionem?

Resp. ad primum. Non agebatur de persona Quesnelli, nec quidem fuit nominata, sed agebatur de ejus libro. Liber autem est simul sui accusator, testis et patronus, et ad eum probandum vel damnandum sufficit legere et sensum intelligere. Unde, quidquid dixisset Quesnellus, forte probasset suam mentem et intentionem fuisse rectam, at non sensum obvium sui libri esse orthodoxum.

Ad secundum, Pontifex explicavit suam bullam, dum in litteris *Pastoralis officii* declaravit per eam non damnari sententias in scholis catholicis tradi solitas. Quibus non sufficit hæc explicatio, non suffecissent ampliores. Aliunde non tam explicationem, quam revocationem petebant. « Silebat sacer Ordo, inquiebat Facultas theologica Parisiensis in instrumento suæ appellationis, pro sua in S. Sedem et sanctissimum D. Clementem filiali observantia ac reverentia, et sperabat fore ut Sanctitas sua, tantis malis commota, prædictam tandem constitutionem revocaret. » Item, vel explicationes fuissent conformes proprio sensui bullæ, vel diffformes. Si prius, illas rejecissent, ut ipsam bullam, aut explicationem explicationum petissent, et sic sine fine. Si posterius, jactassent bullam indignis emendatione et esse reformatam, novamque, priori reprobata, editam esse.

ARTICULUS VII

Utrum Ecclesia sit infallibilis in canonizatione sanctorum?

[Ex triplici ratione placuit Deo sanctos vita functos et in cœlo cum Christo regnantes in terris cultu publico honorari : 1° ut Deus, author gratiæ et sanctitatis, in eis glorificetur ; 2° ut sancti nobis sint exemplo et viam salutis, quam ipsi sunt secuti, nobis ostendant ; 3° ut tamquam protectores apud Deum eos invocemus. Hæc in sacra liturgia nos docet Ecclesia ; legitur enim in publicis orationibus : *Deus, qui glorificaris in concilio sanctorum martyrum tuorum*¹... *Deus, qui infirmitati nostræ, ad terendam salutis viam, in sanctis tuis exemplum et præsidium collocasti*²... Cum autem cultus publicus legitime exhiberi non possit nisi eis de quorum sanctitate et glorificatione certo constat, et ad Ecclesiam solam pertineat de his pronuntiare, non licet eos sic honorare antequam Ecclesia solemne iudicium super eorum virtutibus et conditione præsentis ediderit. Et hoc iudicium canonizatio dicitur, quia vi hujus iudicii cœlicolæ aliqui in canone sanctorum inscribuntur.

Cum Ecclesia aliquem defunctum canonizat, emittit iudicium proprie dictum, quo pronuntiat hunc in cœlis regnare. Si vero licentiam tantum concedat servum Dei aliquem habendi et honorandi ut beatum in cœlis, jam non est canonizatio, sed solum beatificatio.

Canonizatio et beatificatio sunt vel formales, vel æquipollentes.

Canonizatio formalis, seu proprie dicta, definitur a Benedicto XIV, lib. I *de Canonizat. sanct.*, c. 39, n. 5 : « Sententia definitiva summi Pontificis, qua decernit aliquem beatum in sanctorum catalogum esse referen-

1. Comm. omn. SS. Mart. in festo S. Stephani. — 2. Collecta in festo S. Gulielmi, die 25 junii.

dum, et coli debere in toto orbe catholico atque in universa Ecclesia cultu illo qui cæteris canonizatis præstatur. » Est ergo canonizatio publicum Ecclesiæ testimonium de vera sanctitate et gloria alicujus personæ defunctæ. Istud autem testimonium redditur per modum iudicii, quo personæ cononizatæ decernuntur honores qui cum Deo regnantibus debentur, scilicet quod inscribatur in sanctorum catalogo, quod in publicis Ecclesiæ precibus invocetur, quod in ejus memoriam templa Deo erigantur, sacrificium missæ offeratur, horæ canonicæ recitentur, dies festi celebrentur, ejus imago cum aureola quæ denotet ejus gloriam depingatur, et ejus reliquiæ publicæ honorentur.

Beatificatio formalis est « actus quo Romanus Pontifex indulgendo permittit aliquem Dei servum coli posse in aliqua provincia, diœcesi, civitate aut religiosa familia, cultu quodam determinato, limitato ac beatis proprio. » Omnes honores sanctis concessi possunt ei præstari, sed intra limites præfixos.

In hoc differt canonizatio a beatificatione : 1° quod canonizatio sit ultima ac definitiva sententia de sanctitate et gloria alicujus, non vero beatificatio, post quam requiruntur novæ informationes, ut perveniatur ad canonizationem. 2° Ut jam dictum est, beatificatio non tam est sententia quam indulgentia : unde Pontifices in bullis canonizationis dicunt : « Definimus, decernimus, mandamus ; » in bullis vero beatificationis : « Indulgemus, concedimus, etc. » 3° Canonizatio totam respicit Ecclesiam, dum licentia in beatificatione expressa alicui tantum provinciæ, diœcesi, loco conceditur.

Canonizatio æquipollens est Ecclesiæ iudicium implicitum, consistens in cultu publico ab Ecclesia universali alicui servo Dei exhibito, sine ullo formali decreto de illius sanctitate et felicitate. Beatificatio æquipollens est pariter licentia tacita, qua cultus publicus alicui servo Dei præstatur in aliquo territorio, sciente et tacente Ecclesia. Plures canonizationes et beatificationes fuerunt æquipollentes, ut ex eo quod sequitur patebit.

Quamvis canonizatio sanctorum, quoad modum qui nunc servatur in Ecclesia, non semper fuerit in usu, fuit tamen semper quoad substantiam, ita quod nullus defunctus coleretur ut sanctus sine prævia discussione et approbatione sanctitatis illius, ut constat ex Optato Milevitano, lib. I *contra Parmen.*, ubi significat illicitum fuisse venerari reliquiam alicujus « hominis mortui, etsi martyris, sed nondum vindicati, » id est nondum approbati et recepti. Si autem sic pro martyribus, a fortiori pro aliis sanctis. Hæc vero discussio et approbatio, seu canonizatio, fiebat ab episcopo vel primate pro suis ecclesiis tantum, sed cultus in eis institutus ex populorum devotione, accedente consensu tacito vel expresso summi Pontificis, sæpe extendebatur ad alias ecclesias. Verum, cum in hoc quidam episcopi aliquando modum excessissent, aut aliunde irrepissent abusus in cultu sanctorum, ita ut quandoque impii certis in locis colerentur pro sanctis, Alexander III, cap. *Audivimus*, lib. III Decretel., *de relig. et venerat. sanct.*, jus sanctos canonizandi ad Sedem Apostolicam reservavit, ita ut, « etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro sancto absque autoritate Romanæ Ecclesiæ venerari. » Et idem Pontifex S. Bernardum et S. Thomam Cantuariensem canonizavit.

Quomodo procedendum sit ad obtinendam canonizationem, fusissime exponit Benedictus XIV in opere supra laudato *de Beatificatione et Canonizatione sanctorum*.

His præmissis,

Dico : Ecclesia est infallibilis in canonizatione sanctorum.

Est communis sententia, videturque aperte esse divi Thomæ, *Quodlib.* IX, a. 16. Ibi quærit S. Doctor, utrum omnes sancti qui sunt per Ecclesiam canonizati, sint in gloria, vel aliqui eorum sint in inferno. Et cum in corpore articuli statuisset, tamquam certum, quod judicium Ecclesiæ universalis in his quæ ad fidem pertinent errare sit impossibile, addit : « In aliis vero sententiis quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus vel criminibus, vel de hujusmodi, possibile est

judicium errare propter falsos testes. Canonizatio vero sanctorum medium est inter hæc duo. Quia tamen honor quem sanctis exhibemus, quædam professio fidei est, qua sanctorum gloriam credimus, pie credendum est quod nec etiam in his judicium Ecclesiæ errare possit. » Ad 1^{um} : « Summus Pontifex, cujus est canonizare sanctos, potest certificare de statu alicujus... præcipue per instinctum Spiritus sancti. » Et ad 2^{um} : « Divina providentia præservat Ecclesiam, ne in talibus per fallibile testimonium hominum fallatur. » Cum ergo in his S. Doctor certitudinem judicii Ecclesiæ repetat ex divina providentia et instinctu Spiritus sancti, quem constat falli aut fallere non posse, apertum est ipsum sentire Ecclesiam absolute esse infallibilem in canonizatione sanctorum. Cum autem dicit « hoc esse pie credendum », non vult significare aliter posse contingere, sed eam infallibilitatem Ecclesiæ in canonizatione sanctorum non esse eodem modo certam sicut certa est ejus infallibilitas in rebus fidei, de qua paulo ante locutus fuerat ; hæc enim est certa certitudine fidei, non ita prima, saltem ut multis videtur. De quo infra.

Prob. 1^o. Ecclesia est infallibilis in communi doctrina morum. Atqui canonizatio sanctorum videtur pertinere ad communem doctrinam morum. Ergo. — *Prob. min.* Ecclesia, canonizando aliquem, obligat fideles ut eum habeant pro sancto, eumque ipsis proponit ut colendum et imitandum. Atqui hæc videntur spectare mores. Ergo.

Confirm. Ecclesia est sancta. Atqui, si proponeret colendum et imitandum impium et damnatum, eumque ut talem haberent fideles, id graviter derogaret sanctitati Ecclesiæ. Ergo.

Prob. 2^o. Si Ecclesia falleretur in canonizatione sanctorum, id cederet in gravem ejus despectum et inhonorationem ; eam enim irriderent dæmones, dum viderent quos damnationis socios habent a fidelibus coli et invocari tamquam Dei amicos et ejus gloriæ consortes. Atqui non est verisimile Deum in similibus suam Ecclesiam deserere. Ergo.

Confirm. facta a Sulpitio Severo in *Vita S. Martini* relato de latrone ob scelera percusso, qui vulgi errore colebatur ut martyr, et quem revelante Deo agnitum S. Martinus a delatis superstitione honoribus deturbavit.

Quod hic dicimus de canonizatione, videtur dicendum, licet non eadem certitudine, de beatificatione; quia, licet Ecclesia in beatificatione non definiat ultimate, concedit tamen et approbat cultum hujus vel illius, in qua concessione et approbatione si erraret, suæ infallibilitati in doctrina morum, suæ sanctitati et suo honori derogaret eodem fere modo quo dictum est de canonizatione.

Dices 1°: Nemo potest esse ita certus de statu alicujus, sicut ipsemet de se; *quis enim hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* I Cor., II, 11. Atqui nemo potest esse certus de seipso, an sit in statu salutis; nam *nescit homo utrum amore an odio dignus sit,* Eccles., IX, 1.

*Resp. Dist. maj.*¹ Nemo potest esse ita certus, etc., seclusa assistentia Spiritus sancti, *conc.*; ea supposita, *nego.* Dicendum itaque quod summus Pontifex, cujus est canonizare sanctos, potest certificari de statu alicujus, non solum per inquisitionem vitæ et attestationem miraculorum, sed præcipue per instinctum Spiritus sancti, qui *omnia scrutatur, etiam profunda Dei,* I Cor., II, 10.

Inst.: Ecclesia in canonizatione sanctorum innititur testimonio humano, quod est fallibile. Ergo.

*Resp. Dist. ant.*² Innititur testimonio humano tantum, *nego.* Ubi observandum quod testimonia humana valent jam ad certificanda historice facta quæ sanctitatem moraliter demonstrant. Innititur item et præcipue divinæ providentiæ, quæ præservat Ecclesiam ne in talibus fallatur, *conc.*

Dices 2°: Facta a Sulpitio Severo et ab Alexandro III allegata, quibus addenda est inscriptio in Martyrologio Usuardi, inter sanctos, Eusebii Cæsariensis, quem constat

1. D. Thomas, *ibid.*, ad 1. — 2. *Ibid.*, ad 2.

fuisse arianum, imo Arianorum principem, teste Hieron., lib. II *adv. Rufin.*, c. 14, probant errorem in hac materia incidere: unde infallibilitas Ecclesiæ conculitur.

Resp. Dist. ant. Plures falso honorari potuerunt ut sancti in aliqua ecclesia particulari, ex errore eorum quorum non erat de talium hominum sanctitate judicium authoritative ferre, *conc.*; in Ecclesia universali et ex ipsius Ecclesiæ judicio definitivo, *nego.* Conseq. ergo corrui.

Petes an sit de fide Ecclesiam infallibilem esse in canonizatione sanctorum.

Resp. Non videtur esse de fide quod Ecclesia sit infallibilis in canonizatione sanctorum, consequenter neque quod talis ab Ecclesia canonizatus sit sanctus et beatus.

Prob. prima pars, 1° ex D. Thoma¹, qui judicium Ecclesiæ in canonizatione sanctorum ponit medium inter judicium Ecclesiæ de rebus fidei et judicium de factis particularibus, et dicit quod non sit de fide, sed sit « pie credendum quod in his judicium Ecclesiæ errare non possit. »

2° Quamvis sit de fide certum Ecclesiam esse infallibilem in communi doctrina morum, non est tamen eadem fide certum canonizationem sanctorum pertinere ad communem doctrinam morum, neque id omnes concedunt. Ergo.

3° Nulla exstat Ecclesiæ definitio de sua infallibilitate, ut fidei divinæ, in canonizatione sanctorum, neque id ex ejus praxi colligi potest.

Hinc *sequitur* secunda pars. Si enim non sit de fide quod Ecclesia sit infallibilis aliquem canonizando; ergo, a fortiori, quod iste canonizatus sit sanctus, cum aliunde id non sit revelatum, neque immediate, ut per se patet, neque mediate in ipsa infallibilitate Ecclesiæ, cum, ut dictum est, non sit certum de fide.

Nihilominus infallibilitas Ecclesiæ in hac materia est

1. Ubi supra.

theologicæ certa, et forsan proxima fidei, ut sequitur ex eo quod dicit Benedictus XIV, ubi supra, lib. I, c. 45, n. 28, eum qui assereret summum Pontificem in hac vel illa canonizatione errasse, temerarium fore, scandalum toti Ecclesiæ afferentem, in sanctos injuriosum, faventem hæreticis, sapientem hæresim, assertorem erroneæ propositionis et gravissimis pœnis obnoxium.]

DISSERTATIO V

DE SUMMO PONTIFICE

ARTICULUS I

De primatu sancti Petri.

Hæc quæstio prælium est ad quæstionem de primatu summi Pontificis. Cum enim Romanus Pontifex sit successor sancti Petri, quam iste habuerit authoritatem in Ecclesia, hanc habet Romanus Pontifex. Unde quæ dicam pro primatu S. Petri, probant primatum Romani Pontificis.

[Primatus triplex distinguitur : honoris, excellentiæ et jurisdictionis. Primatus honoris seu dignitatis ille est quo aliquis primum locum inter cæteros obtinet, sed absque ulla superiori potestate præceptiva : v. g., in cœtu deliberante ex æqualibus composito, præses hunc primatum exereet, discussiones dirigendo et moderando, sed nullum mandatum edendo. Primatus excellentiæ illius est proprius qui aliqua dote, et sub hoc respectu tantum, alios superat; quo sensu Cicero oratorum princeps dicitur. Primatus jurisdictionis ille est quo aliquis, non solum in cœtu primum locum obtinet, aut aliis dote aliqua præstat, sed reipsa cæteris superior constituitur et erga eos authoritate præceptiva pollet. Talis est qui potestatis triplicis, nempe legislativæ, judicariæ et coercitivæ usum

habet : et hujusmodi est primatus beato Petro a Christo collatus, ejusque successoribus transmittendus.

Schismatici et hæretici libenter concessissent Pontifici Romano quemdam honoris primatum, vel etiam admitterent illum habuisse olim jurisdictionis potestatem, sed tantum jure humano, scilicet ei concessam ab Ecclesia, quæ posset pari jure eam auferre. Ita sentiunt Græci, qui Romano Pontifici subjecti fuerunt usque ad tempora patriarchæ Photii, circa annum 887, qui Constantinopolitanam sedem invasit et a Romano Pontifice condemnatus est. Hic Papæ authoritatem doctrinaliter primus inter Orientales palam detrectavit, practice id fecerunt omnes hæretici et schismatici separati ab Ecclesia. In occidente primus negavit Pontificis Romani primatum Berengarius, sæculo xi, Papam *Pompificem* derisorie vocitando. Impietatis æmulos habuit Wikleffitas, sæculo xiv, quos secuti sunt Lutherus et Calvinus, propugnantes omnes Apostolos fuisse æquales Petro, qui eorum fuisset socius tantum, non vero dominus. Dominum equidem nec catholici dixerunt, sed superiorem cæteris Apostolis eum fuisse, cum certitudine affirmant. Cum non alia esse possit Romani Pontificis authoritas, quam ea quæ fuit ipsius Petri, cujus successor est Romanus Pontifex, nihil non moliuntur ut Petro suam in alios Apostolos jurisdictionis primatum eripiant. Janseniani et sequaces Richerii et Febronii primatum eo usque limiterunt, ut pene excideret, si eorum doctrina prævaleret. Fuit etiam injuriose impetitus per *Cleri gallicani de ecclesiastica potestate declarationem* diei 19 martii 1682, de qua infra. Hodierni schismatici qui se nomine *Veterum Catholicorum* impudenter decorant, primatum plus minusve theoretice impugnant, sed practice, per suam pertinacem rebellionem, eum prorsus convellunt.]

Dico : Petrus, isque solus, est institutus a Christo caput visibile totius Ecclesiæ : sive soli Petro collatus est a Christo primatus, non solum honoris et dignitatis, sed potestatis et jurisdictionis in Apostolos et universam Ecclesiam.